DISSERTATIO MEDICA 20
INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA.

JOANNES MAGRATH, Auctore.

OBTEMPERANS legibus hac alma Academia institutis, quemque Gradum Doctoratus ambientem, Tentamen Inaugurale de re aliqua ad Medicinam pertinente, proferre jubentibus, Scarlatinam pro argumento selegi paginarum sequentium, non spe inductus aliquid novi de morbo de quo Withering aliique scriptores medici tam fuse locuti sunt, proferendi, sed quia hic sit morbus qui attentionem medici sibi imprimis vindicat, nam,

DoctoreClarke* testante, contagium hujus febris, cum virulentum sit, quam illud febris propriæ, quia facilius propagari potest, magis est metuendum. Sed priusquam ad historiam ejus signorum, et rationem medendi progrediar, pauca de origine et indole ejus dicam.

Ludovicus Mercatus, Medicus Philipporum I. et II. regum Hispaniæ, primus fuit qui, anno MDCXIV, Scarlatinam utpote morbum proprium descripsit, quia tunc per provincias multas illius regionis grassabatur, inde in Melitam, Siciliam, aliasque insulas in mari Mediterraneo sitas, transiit; et postea in Neapolin, ubi modo pestis in illa urbe sæviit. Sub hoc tempore in partibus diversis Italiæ erupit; et postea in aliis regionibus continentis Europæ deinceps exorta est, ut ex ejus descriptione a Senerto † Medico Electoris Saxoniæ tradita, patet.

In Britanniam anno circiter MDCLXXXIX introducta fuisse videtur; et tanta sævitia per æsta-

---

* P. 28, Dr Clarke.

† Senertus de Febribus, Lib. iv. cap. 5.

tem hujus anni Londini serpsit, ut a Mortona, qui historiam ejus nobis tradidit, pro genere pestis habita fuit. Hunc tamen morbum eundem ac Rubeolam, forma eruptionis tantum diversa, existimavit. Sed inter Medicos Anglicos, qui de Scarlatina scripserunt, Fothergill illustris, qui eam ut Londini annis MDCCXXXIX et MDCCXLVIII sævientem clare descripsit, sub nomen Cynanche ulcerosa, primum locum occupat. Circiter idem tempus Doctor Cotton observationes quasdam de genere Scarlatinæ, tunc in Sancta *Albans* grassantis, in medium protulit, et quamvis indole mitiore prædita, idem morbus evidenter fuit epidemicus, et ex eodem contagio ac ille a Doctore Fothergill descriptus ortum habens. Hoc, me judice, Scarlatinam anginosam et Cynanchem ulcerosam eundem esse morbum, nullo indicio præterea existente, satis demonstrat, ut ab illis de natura ejus mox dicendis patebit; paucis annis postea a Wallo et Huxamo, ut prope *Worcester* et *Plymouth* grassata est, et diversis temporibus exinde a plurimis scriptoribus medicis, sed a nullis accuratius,

quam Withering, Sims, et Willan, descripta fuit. Inter medicos continentales, qui de hoc morbo disseruerunt, Navier* et Plenciz† eum optime illustraverunt, nunc num Scarlatina sit prorsus novus morbus, primum inter Hispanos et Italos visus, ut eorum medicis perhibetur, vel num Medicis Antiquioribus, sub indole mitiore cognitus (ut ille a Sydenhamo descriptus, cui nomen morbi, illo testante, vix debet tribui) et ab illis cum aliis morbis conjunctus, non probe constat. Celsum tamen ornatissimum nihil de eo memoriæ tradidisse satis patet.

DE NATURA SCARLATINÆ.

An Scarlatina et Cynanche Maligna pro morbis diversis, ex contagiis specificis separatis orientibus, vel si pro eodem morbo eandem causam agnoscente, sub diversis formis et variis temporibus pro re nata prodeunte, inter medicos diu

---

* Dissertation sur plusieures Maladies populaires, Paris, 1749.
† Tractat. de Scarl.

fuit disputatum. Inter eos priori sententiæ faventes, Fothergill et Cullenus celeberrimus, qui de medicina tantum meruit, eminent. Hic medicus præclarus, quamvis Scarlatinam sexies vel septies, spatio annorum triginta vel quadraginta epidemice grassantem, et fere semper ulcera in faucibus ostendentem vidit, hanc ex Cynanche prorsus esse diversam putavit. Sed ex tempore quo floruit, tam multis occasionibus morbum sub varietatibus et formis ejus observandi oblatis, vix aliquid dubii de re nunc subesse potest.

Nam in eodem epidemico, et etiam illis ejusdem familiæ qui affecti fuerant, alium Scarlatina simplice, alium anginosa et alterum maligna laborasse observatum fuit; et Heberden venerandus post morbum accurate descriptum, his verbis utitur. " Ex iis quæ de febre rubra et angina memorata sunt, longe vero simillimum videtur unum eundemque morbum hoc vel illo nomine appellatum fuisse, prout indicia alterutra gravius incubuerint, de quo etiam id nos facit certiores, quod ambo una semper fiunt vulgares, atque hæc procul dubio vincet senten-

tia, modo illud concedatur, cujus ni fallor ipse testis fui, nimirum inter plures pueros et puellas qui, ut sæpe fit, in unis ædibus simul correpti sint, hos febrem rubram, illos vero anginam, fuisse expertos." Et hoc nobis attentionem adhibituris non difficile erit intellectu, nam in hoc, ac in aliis morbis contagiosis, discrimen in constitutione, ætate, sexu, tempestate anni, et plus minusve viri morbi ipsius, naturam ejus, modum accessionis multum temperat; eodem modo, ac eædem res variolam vel discretam vel confluentem gignerent.

Scarlatina, morbo maxime contagioso existente, neutri sexui, nulli ætati parcit, sed vis ejus omnes non pariter afficit, nam debiles præ robustis, fœminæ præ viris, et infantes potissimum eâ procliviores sunt tentari. De modo quo recurrit, opiniones diversæ in medium prolatæ fuerunt. Quibusdam auctoribus hoc, ut alia exanthemata, semel tantum in decursu vitæ accedere, persuasum est, et hoc factum fuisse videtur ægrorum duobus millibus, de quibus Doctor Willan dicit. Sed exempla quibus

idem homo bis affectus fuit, subinde occurrunt, et Heberden sic loquitur : "Novi quos hic morbus bis tentaverit." Sed adjungit, "quod tamen perpaucis accidit."

Sub finem autumni vel initium hiemis sæpissime invadit, sed nulla tempestas anni ab eâ immunis est, mutatio subita ex cœlo calido ad frigidum et humidum, tempestas pluviosa, intemperentia, victus tenuis et parcus, fatigatio, et quodcunque corpus debilitat, proclivitatem ad hunc morbum gignendum videntur. De tempore accurato ex infectione admissa ad evolutionem hujus morbi, non certe constat, quia causæ prædisponentes supra dictæ, simul cum conditione viri plus minusve concentrata, ad tempus varium reddendum satis pollebunt. Heberdeno infectionem die quinto post contagium prodire visum fuit, in hac re morbum, de quo agitur, similem variolæ existimavit.

Ob hanc causam, signa alicujus se male habentis non statim post infectionem visa sunt; illi in quibus latet hanc amicis et cognitis imper-

tiunt, unde inter plurimos, præcipue pueros, brevi propagatur.

Hactenus de indole Scarlatinæ et modo quo sæpe communicatur, nunc ad historiam ejus symptomatum progredimur, quæ sub tribus diversis formis apparent, quamvis duæ priores adeo miscentur, et in se mutuo transeunt, ut non facile discerni possint.

DE SCARLATINA SIMPLICE.

Hæc est illa forma Scarlatinæ a Sydenhamo tam præclare descripta, quam nihilominus temporibus recentioribus signa graviora comitantur. Cum signis solitis pyrexiæ incipit, nimirum languore, lassitudine, debilitate, nausea, doloribus lumborum et extremorum, rigoribus quibus ingens calor et sitis accedunt.

Die secundo, eruptio modo parvarum macularum in facie et cervice, quæ haud multo post per totum corpus sparguntur, prodire incipit, et hæ maculæ minimæ adeo sunt confertæ, ut cutis astacem concoctum refert. Facies tumida

et turgida videtur, oculi sunt rubri, et si nares, labra interiora, genas et palatum inspiciamus, hæc ruboris generalis esse participes inveniemus. Tertium diem versus, efflorescentia perfecta est, rubor circa lumbos, nates et articulos digitorum, quam in ullis aliis locis profundior est, idque noctem versus præ aliis temporibus accidit.

Eruptione perfecta et plena, aliquid ruboris faucium, rigor cervicis, et leves tumores glandularum parotidæarum et submaxillarium, plerumque adsunt, qui deglutitionem impediunt; die quinto vel sexto rubor paulatim abit, et septimo ex toto evanuit. Inter stadium eruptionis, pulsus est debilis et celer, ictus centum et quadraginta horæ sexagesima parte edens, urina est limpida et colore stramenti, cum anxietate febrili, et sæpe delirio miti, quæ simul cum efflorescentia abeunt.

DE SCARLATINA ANGINOSA.

Hæc forma Scarlatinæ similis posteriori, cum signis solitis pyrexiæ, adoritur, sed hæc quam in Scarlatina simplice sunt graviora, plurimum

languoris et debilitatis, cui accedit calor morbidus capitis et trunci, dum crura et brachia rigescunt, gravis sensus rigiditatis est circa musculos cervicis et maxillæ inferioris, qui nonnunquam tantum doloris efficit, ut multum molestiæ, capite retracto, inducit. Circa diem febris secundum vel tertium, cum eruptio prodit, et sæpe ab initio, est sensus angustiæ in gutture, vox rauca fit, respiratio brevis, sensum ardoris labiis præbens, et suspiriis cum difficultate devorandi sæpe interrupta. Per dies duas vel tres post eruptionem visam, plurimum nauseæ adest, vomitus bilis, doloris capitis et delirii vesperem versus. Ore inspecto, lingua rubra esse detegitur, papillæ ejus elongantur, sæpe pellicula obducuntur; et faucibus perscrutatis, tonsillæ magnopere auctæ videntur, cum rubore florido per superficiem earum, velum pendulum palati, uvulam, et partem posteriorem faucium sparso; pulsus debilis est, aliquando subsiliens, semper velox, imprimis cum tumor partium superiorum in ulcerationem superficialem desinit. Hæc eruptio ex illa simplicis diversa est, quia morbo pro-

vectire plerumque exit, non per totam superficiem corporis pervadit, sed in forma parvarum macularum circa pectus et brachia prodit; diutius perstat, cutis insigniter aret, et sitis magna adest, simul cum doloribus pungentibus in partibus ejus diversis, quasi æger acu pungeretur, comitantibus.

Nonnunquam fit, quod illi, quos eruptio afficit, sine gutture vel faucibus aliquo modo affectis, et qui totum morbum tolerasse videntur, paucis diebus postea afficiuntur febre redeunte sine eruptione, sed cum plurimo cynanches, tumoris tonsillarum, veli penduli, et glandularum parotidæarum, quasi nulla ex symptomatis prioribus unquam accesserant. Circiter hebdomadam, vel dies decem, postquam eruptio evanuit, (gravi languore et debilitate per febrem prægressis), tumores anasarcam referentes crura occupent, et aliquamdiu perstent.

DE SCARLATINA MALIGNA.

Nunc ad formam ultimam et longe periculosissimam, quam hic morbus induit, malignam

nempe, transeundum Modo Scarlatinæ Anginosæ cum signis solitis febrilibus invadit, sed in hac febris ab initio est typhoidea; insignis lassitudo et debilitas adsunt, quæ minimo conatu syncopen sæpe inducunt, et ne æger in lecto assurgeret, prohibent. Pulsus est parvus, debilis, et nonnunquam abnormis. In aliis formis Scarlatinæ, oculi et palpebræ sunt colore rubro florido; sed in hac lividæ et hebetes sunt. Genæ sunt purpureæ; lingua livida, et tactu lenissimo admotu, excoriata fit; hæc pariter ac dentes et labra, crusta nigra obducitur; spiritus fætidissimus est; et materia acris ex naribus effunditur, quæ effusa oris angulos partesque vicinas erodit; fauces interiores sunt colore purpureo, cum lacunis fuscis vel subnigris; respiratio clangosa et laboriosa evadit, cum plenitudine et lividitate cervicis, et capitis retractione, quæ deglutitionem dolentissimam efficit. Faucibus nunc inspectis, tonsillæ, velum pendulum palati, et uvula lacunis vel crustis nigris et basi livida obducta, videntur. In parte interiore labrorum vesiculæ formantur, quæ materiam acrem effundunt, et in

ventriculum infantum delapsa, diarrhœam cum emissione humoris tenuis acrisque ex ano, hanc et partes vicinas excoriantis, infert. Lacunæ in faucibus progredientes colorem nigriorem induunt, interstitiis purpureis factis, novæ lacunæ formantur, quibus elabentibus, ulcera profunda deteguntur. Eruptio in corpore plerumque levis evadit, in plurimis exemplis est nigra et purpurea, sæpe modo maxime irregulari prodiens et evanescens. Labia pudendi puellarum, et præputium puerorum, eundem colorem ac partes interiores labrorum et genarum plerumque exhibent. Morbo progrediente, surditas, delirium vel coma, cum magna petulentia et vi alternans adest. Hæc forma morbi post paucas horas nonnunquam lethalis fit; cum aliis varietatibus Scarlatinæ sæpius tamen miscetur.

PROGNOSIS.

Nihil medici magis potest referre, quam ut prognosin accuratam, vel conjecturam satis probabilem, de fine alicujus morbi instituere sciat; sed ad hanc formandam, attentione sedula symp-

tomatis tribuenda opus est. Quod ad morbum, de quo agitur, pertinet, multum ex forma, qua prodit, ab ætate et constitutione ægri, et indole generali epidemici, pendebit. Si febris sit levis, inter eruptionem exeuntem prorsus cessat, vel remissionem insignem subit; si eruptio ipsa æqualiter rubra est, faucibus parum vel nihil affectis; si denique, post desquamationem factam, sudor lenis per totum corpus erumpit, exitum felicem præsagire licet.

Sin autem, febris ab initio vehemens est, et generis typhoidei, cum paroxysmo vespertino multum aucto, et pulsu irregulari; si fauces multum dolent, crustisque atris aut fuscis obscurantur, cum spiritu fœtido, comate perpetuo, delirio maturo, et respiratione laboriosa, ingens periculum expectandum est. Nam illa symptomata, simul cum hebetudine oculorum, petechiis, vicibus et diarrhœa, signa sunt manifesta mortis instantis.

DIAGNOSIS.

Quæ dicta sunt supra circa judicium forman-

dum de ullo morbo, ad signa ejus diagnostica imprimis pertinent; nam ex attentione ad hæc adhibitâ, morboque ab omnibus aliis probe discreto, ratio medendi præcipue nititur. Morbus, quem Scarlatina maxime refert, est Rubeola; de discrimine inter eas, pauca dicemus.

In illis Scarlatinâ laborantibus, Efflorescentia circiter diem secundum; sed in Rubeola non donec quartum, vel aliquanto serius, prodire incipit. In priore rubor cutis est plenior et magis generalis. In posteriore, autem, magis est discretus, in maculis parvis, potius elevatis, adeo ut sensum asperitatis digito per eum transeunti præbeat, et colore est purpureo. In Rubeolâ tussis rauca et pertinax est, quæ pituitam acrem expellit; oculi sunt aquosi et lucem refugiunt, cum sternutatione. In Scarlatina quoque est tussis, sed brevis et irritans est sine expectoratione; oculi quoque rubri sunt, sed lucem non refugiunt, et quamvis aquosi non lachrymas effundunt. Præterea, rigiditas musculorum cervicis, et aspectus faucium, morbum per decursum suum facile dignoscent. Nonnunquam fortasse

Scarlatina cum cynanche tonsillari confundi potest; sed si ad signa cujusque accurate attendamus, Diagnosis non erit difficilis, nam in hac tonsillæ cum tumore imprimis afficiuntur; febris quam in Scarlatina gravior est, cum difficultate devorandi et etiam loquendi; rubor cutis abest; et morbus non est contagiosus.

RATIO MEDENDI.

Ad curationem formæ simplicis Scarlatinæ vix aliquid opus est, quam ægrum modice calidum, circa gradum Fahrenheitianum sexagesimum, servare, et omnes sordes tollere. Potus frigidi aciduli, et diæta levis facilisque concoctu, ægro præscribenda sunt; et efficiendum est, ut alvus rite descendat. Quod ad alias varietates pertinet, non de his singulis disseram, tantum de modo generali medendi exercendo, et qui pro re nata variandus est, pauca dicam.

DETRACTIO SANGUINIS.

Hanc pro remedio præclaro medici continentales olim extulerunt, sed ob magnam de-

pressionem, et debilitatem, quæ eam statim sequuntur, nunc raro in usum venit, et aliis remediis magis efficacibus cessit. Nonnunquam cum oculi ruberrimi, et delirium, eam necessariam reddere visa sunt, hirudines admotæ fuerunt, sed absque ullo commodo.

QUÆ VOMITUM MOVENT.

Emetica procul dubio remedia sunt efficacissima quæ præcipi possunt, et quæ omnibus formis hujus morbi, sed præsertim ad initium, respondent. Hoc tempore sumpta, morbo sæpe ex toto occurrunt, vel hunc saltem progredientem temperant, et minus molestum efficiunt. Materiam acrem in faucibus coacervatam ejiciunt; et sic, quo minus in ventriculum descenderet, obstant, et inducias anxietati et delirio semper conciliant. Emeticum vel ex tartrate antimonii et potassæ, vel ipecacuanhâ pro habitu ægri constare debet.

AFFUSIO FRIGIDA.

Hæc est remedium summi momenti, et quod

nuper defunctus medicus præclarus, et artis suæ decus, Dr Currie primus admovit. Aliquo tempore morbi usurpari potest, sed ad initium maxime prodest. Quando cutis sicca et arida est, horrore desinente, æger in dolium immittendus est, et aqua frigida per totum corpus effundenda; et quoties calor morbidus præter naturam surgit, toties affusio repetatur; effectus ejus sunt insignes, ingentem calorem minuit, pulsus minus frequentes efficit, et somnum reficientem inducit. Horâ vespertina optime ministratur, tempore quo febris exardere solet, et æger dormiturus est.

Si signa debilitatis adsint, corpus aquâ egelidâ et aceto lavare magis convenit.

QUÆ ALVUM PURGANT.

Num purgantia in hoc morbo usurpari debent, necne, ob debilitatem insignem ab his æque ac missione sanguinis dehortantem, inter medicos non constat; sed quamvis cathartica fortia per omnem morbi decursum inepta sint, tamen laxantia mitia utilissima sunt. Initio

alvum bene ducere ope *submuriatis hydrargyri* opus erit. Postea, ut alvus quotidie descendat, oportet: Nam in iis casibus, ubi humor in ventriculum delapsus, acrimonia ejus aucta, diarrhœam movet, hunc humorem e corpore laxantibus expellere necesse erit.

GARGARISMATA.

Hæc materiam acrem ex faucibus, quæ in ventriculum descenderet, eluendo, et virus quicum saliva inficitur auferendo, magnopere prosunt. Hoc consilio infusum *Rosæ Gallicæ* cum acido *sulphurico* diluto, vel aqua communis cum acido *muriatio* acidulata, exhibeantur; cum gargarismata modo solito non sumi possunt, syringe injiciantur, ubi humor est acerrimus, *capsicum annuum* in aceto diluto, cum pauxillo salis, fructu experiatur.

ROBORANTIA ET STIMULANTIA.

Febre jam inclinata, debilitatem prævertere et vires sustentare, nunc opus erit; ad corpus roborandum, cortici *cinchonæ officinalis* omnia jure

cedunt; dummodo ventriculus non fastidiat, diæta nutriens et generis concoctu facilis concedenda est; medicamentorum stimulantium vinum longe optimum est; *vinum* et *opium* eodem tempore plerumque utilia et necessaria sunt. *Ammonia*, acida mineralia et infusum capsici eodem spectant, et nonnunquam auxilia utilissima esse videntur.

Ad prophylaxin solitam, ne contagium propagetur, confugiendum est. infectos ab omnibus aliis semovendo, omnes materias fæculentas statim tollendo, et perflatum idoneam et munditiam servando. Ad delendum, vel contagium neutrum reddendum, acida potentissima sunt, nempe *muriaticum*, *oxymuriaticum*, *nitrosum*. Ex iis acidum oxymuriaticum potentissimum est: sed non respirari potest. Igitur vapores acidi nitrosi ad contagionem delendam summo cum commodo usurpantur.

FINIS.